

miserrimus, sicut illud Rom. 1: Est semen Daudis et tamen Dei Filius, Daudis quidem in infirmitate et humilitate carnis, Dei vero in virtute. Sic declaratur per Spiritum sanctum post resurrectionem suam. Mira certe locutio est brachium domini et seruus, id est Filius Dei messias est sublimis, exaltatus non tantum in cruce a terra, sed sedet ad dexteram Dei aeterni Patris, sic ut sit ipsum brachium domini et dextera Dei, per quam Deus omnia fecit ac facit potenter, eduxit filios Israel ex Aegypto, cibavit manna in deserto 40 annis Israelitas. Haec est sapientia Christianorum. Iudaei offenduntur [73r:] in coniunctione naturarum. Haec diligenter inculcanda et credenda sunt, cum aperitur scriptura. Alias enim nemo cogitet vnquam, quod possit intrare in penetralia et secreta scripturae excluso illo brachio domini, incarnato Deo. Constituto autem, quod Filius Dei et Daudis sit vnus, non duo filij, tota scriptura patet, quia de vno tantum loquitur. Ergo quatenus est naturalis filius Daudis seu secundum naturam hanc assumptam vocatur tota persona seruus. Non enim distrahenda et diuidenda est persona Filij Dei et Daudis, sed debemus credere et confiteri, quod illae duae naturae sunt vnus Filius, quia sunt iam vnitae vnione hypostatica. Est enim vere vnus Filius, quia est vna persona, ut angelus Luc. 1 dicit: „Quod nascitur ex te“, muliere scilicet virgine, „Filius Altissimi vocabitur“. Tuus quidem Filius erit, nascetur enim ex te, concipies et paries eum tuo vtero, sed iste Filius tuus siue hoc ipsum, quod ex te natum est, vocabitur Filius Altissimi. Sic 1. Corinth. 2: „Si cognouissent dominum gloriae, non crucifixissent.“ Paulus clare ait non Filium Mariae aut Daudis crucifixum tantum, sed dominum gloriae, id est dominum gloriosum et ad Ebraeos 6: „Crucifigentes Filium Dei.“ Ergo caueamus Nestoriana et Suuenckfeldiana deliria, quae personam distrahunt et faciunt duos filios et teneamus firmiter non esse duos filios, sed vnum Filium. Porro autem patres hoc Communicationem Idiomatum appellarunt, quod communicet suas proprietates vtraque natura illi personae, quae est Filius Dei. Humana communicat illi personae, quae est Filius Dei et diuina natura ei, quae est filius Mariae. Quod accidit huic, qui est Filius Dei, dicitur accidisse filio virginis et econtra, ut Iesus Nazarenus est filius virginis et simul Dei in vnitate personae, id est vna vnione duarum naturarum ut recte dicatur: „Hic homo condidit stellas, Deus vagit in cunis et homo creator et gubernator angelorum, qui fugit vbera matris, qui creauit omnia, iacet in praesepio.“ Sic Spiritus sanctus seruauit ecclesiam in hoc articulo, qui quidem praecipuus est in nostra religione ut Psal. 8 pulcherrime dicitur: „Quid est homo et filius hominis, quod visitas illum?“ O quam admirabile est nomen tuum Iesu Christe? Nihil potest vnquam cogitari mirabilius quam quod ita desertus a Deo et tamen constitutus sit rex super omnia³¹⁵ etc.

Agnitio duarum naturarum in Christo claus scripturae.

Cur scriptura naturarum appellationes et proprietates tribuat personae.

Quid sit Communicatio Idiomatum.

³¹⁵ Martin Luther, Enarratio 53. capitis Esaiae (1550), in: WA 40/III, 701,37f. 702, 1–7.15–20.28f.33–39. 703,4–6.14–25.29–704,10.17–20. Vgl. Röm 1,3f; Lk 1,35; I Kor 2,8; Hebr 6,6; Ps 8,5.